

documentorum ac reliquiarum. Quod hac ratione auctoritative solutum fuit : « La Statue miraculeuse de la Sainte Vierge sera transférée de Termonde à Affligem. L'Abbé et les moines d'Affligem permettront qu'on vénère à Termonde une copie exacte de cette sainte Image sous le titre de Notre Dame d'Affligem. On transférera aussi une des deux reliques, le calice et la crosse de S. Bernard, à Affligem, l'autre demeurera la propriété du monastère situé à Termonde. Les abbés respectifs s'entendront sur le choix de ces deux objets, après avoir prié Dieu et son serviteur S. Bernard, et celui des deux Abbés que le sort favoriserait choisirait le premier. La communauté située à Affligem et celle établie à Termonde se partageraient les anciennes archives d'Affligem d'une manière équitable en deux parts à peu près égales » (l.c., p. 24).

Tandem, in nr. 11, *Epistolae Variæ* (1876-1878), sermo fit de difficultatibus ortis ex eo quod vice-visitator Ordinis sedem fixerit in Affligem. Quod prior Affligemensis, Cl. Van Aalst, censuit sustineri non posse. Quod discidium practice solutum fuit postquam prior Van Aalst e monasterio suae professionis recessit, et tandem ad clerum saecularem transiit.

Num. 8-11 serei « *Fontes Affligemensis* » referunt facta et documenta varii generis quae historiam longam monasterii varia ratione vere illustrent.

J.B. VALVEKENS, O. Praem.

J. A. CORBETT, *Praepositini Cremonensis Tractatus de Officiis*, 336 p. Éd. : University of Notre Dame, Notre Dame. Indiana. U.S.A. 1969. Pr. : 8 dollar.

Institutum Mediaevale universitatis Notre Dame, inter alia, curat editionum operum praeclariorum, olim currente Medeo Aevo conscriptorum. In hac serie, uti num. XXI, editur praesens volumen. Praepositinus iste Cremonensis dictus obiisse videtur anno 1210. Fuit theologus ac liturgiae studiosus eximius suae aetatis. Ortus, uti videtur, in Italia septentrionali, postea cancellarius universitatis Parisiensis fuit. Iam anno 1927, G. LACOMBE scite exposuit in suo libro *La vie et les œuvres de Prévostin*, ea quae de operositate ac de meritis Praepositini constant. Plures « Summas » conscripsit. Inter alia : *Summa de Officiis*. Quo libro locum praeclarum obtinet inter eos qui versus a. 1200 de s. Liturgia scripserunt. Plurima manuscripta huius operis subsistunt ad nostra usque tempora. Quae manuscripta apte ab editore praesentis voluminis, Corbett, describuntur. « Officia » divina dividit Praepositinus iuxta quattuor anni partes : hiems, ver, aestus, autumnus. Plurima hausivisse videtur ex opere praeclaro Amalarii Metensis; imo et quaedam ex hoc opere simpliciter excrississe, iuxta modum agendi iis temporibus non raro usitatum. Editionem accuratam huius operis praebet editor Corbett. Etiam sub hoc respectu fidelis remanens famae scientificae seriei in qua volumen istud editum fuit.

Contentum stricte liturgicum operis Praepositini hic exponendum non est. Quod fit in operibus quae scite historiam librorum liturgicorum exponunt. Notare vellemus curam Praepositini de proponendo respectu pastorali quae ubique in expositionibus suis clarescit. Quidem «accommodationes» quas quaerit et exponit parum concordare videntur cum curis sensus litteralis quem nos in talibus expositionibus quaerere solemus. Hoc tamen nequaquam impedit quominus apud Praepositinum multa inveniamus vere religiosa et theologice retinenda in officio divino. Nonnullae veritates tales theologicae ac pastorales hic expressae utiliter retinendae proponi possunt. Nonnulla themata talia hic referimus, non quidem ad hoc ut ratio accommodationis auctoris retineatur, sed ut veritates hac methodo expressae non pessumdentur.

Obitus sanctorum, ita Praepositinus, octavas habent. Cur? «Quia ipsi tunc nascuntur ea nativitate quae est ad vitam aeternam; unde eorum obitus natalia vel natalicia vocantur. Post illam enim nativitatem quae est in morte speranda est gloria resurrectionis quae dabitur in octava, non post nativitatem quae est ad mortem» (p. 37 s.). Occasione historiae Iacob plura utilia exponit de variis vitiis quae in vita hominum occurrere possunt. Alia occasione textus varios e S. Augustino depromptos citat, explicans cur S. Pontifex eleemosynas dare solebat in sabbato Palmorum. (sic!). Ad orationes quae fiunt in officio in die Parasceve notat genuflexiones fieri debere pro omnibus, paganis, haereticis, Iudaeis, et ceteris (p. 97). Mysterium Paschatis, utpote mysterium centrale religionis sicuti et rectae Liturgiae, iterum ac fuse proponit. Audiatur, v.gr., quomodo exponat «Introitum moralem» diei Paschatis: Resurrexi et adhuc sum tecum: «Moraliter de choro neophytorum intelligitur, ut clamet chorus neophytorum quasi unus homo: Resurrexi et adhuc tecum sum, et est sensus: Prius longe eram a te per dissimilitudinem peccati, sed iam resurrexi a vitiis et tecum sum per similitudinem virtutis, et hoc inde quia posuisti super me manum misericordiae tuae qua me infirmum ab infirmitate peccati liberasti, et inde mirabilis facta est scientia tua, quia per hoc totum orbem dilatata. Nisi enim cotidie nova proles tibi succresceret, nequaquam scientia tua per totum orbem mirabilis videretur» (p. 176). — Audi tandem quare «Dominica Oratio» dicatur: «In quibusdam ecclesiis, licet astantibus, in omnibus dicitur officiis dominica oratio. Nam dominica oratio est quasi sal et condimentum nostri sacrificii et in Veteri Testamento nullum sacrificium sine sale fiebat, et ita nullum nostrum officium sine dominica Oratione fieri debere videtur, sicut ex precedentibus haberi potest» (p. 241).

Tandem notavimus Praepositinum ubi curam agere intendit de componenda apta concordia narrationum variorum Evangeliorum de apparitionibus Domini in die Resurrectionis, «explicationem» proferre sicuti refertur a Zacharia Chrysopolitano, Praemonstratensi, in suo noto libro: «In unum ex quatuor».

J.B. VALVEKENS, O. Praem.